

LUITGARDA MONIALIS BEROVIENSIS. 397

inde in alios quoque scriptores promanantis esse facillima potuit, maxime quum hic Conradus ab anonymo nostro de Wirtemberg vocetur; ast spectato faltem toto auctoris contextu, perperam. Quum enim scribat: *cuius etiam frater Conradus nomine de Wirtemberg &c.* vel sub pronomine relativo *cuius* intelligit fratrem Adelberti de Windenberg & Bogen, cuius ab initio mentionem fecerat; vel fratrem Luitgardæ, de qua in mox præcedentibus egerat? Si primum: non video, quomodo fratres germani esse potuerint ambo diversæ adeo familiæ viri: maxime quum in tota Wirtembergensi genealogia nullus occurrat Conradus Adalberti frater, ac insuper nullus inter utramque, Wirtembergicam scilicet & Windenbergicam, stirpem nexus intercesserit, uti rursus agnoscit Schmidlinus. Igitur Conradus Luitgardæ frater extitit, quod vult anonymus. At huic opinioni, qua ambo ad stirpem Wirtembergicam pertinere existimabantur, duo ob stare videntur: primo siquidem, si Conradus iste revera fuisset de Wirtemberg, Luitgarda quoque eius soror ex eadem stirpe orta esse debuit. Hæc vero ex anonymi testimonio mater fuit Adalberti, seu primi seu secundi comitis *de Windenberg & Bogen*. Atqui tamen in tota horumce ferie genealogica nulla uspiam occurrit sive Luitgarda sive alia femina ex familia Wirtembergica. Aut num Luitgarda hæc in illa ipsa stirpe Wirtembergica nupserit, ex qua orta sit? Alterum est, quod Conrado huic successisse dicatur *filius sororis suæ*, ex sententia quidem anonymi eiusdem Luitgardæ nuptæ comiti de Bogen; Conradi vero de Wirtemberg seu Beutelspach soror Luitgardis, ut dictum, Bernardo comiti de Scheuren iuncta erat.

SECULUM
XII.

L. cit. p. 77.

Iuvat porro hanc in rem curatius nonnihil examinare ista anonymi nostri verba: *Cui* (Conrado fratri Luitgardæ) *filius sororis suæ* (eiusdem scilicet Luitgardis) *successit, & de eodem castello eiusdem nominis*. Conradus antea vocatur *de Wirtemberg*, quæ lectio, etsi genuina foret, dubium tamen facit, utrum verba *de eodem castello eiusdem nominis* sumenda sint de castro *Windenberg* aut *Wirtemberg*, utrumque enim in præcedentibus memoratur. Dubium item, an verba *eiusdem nominis* de castello, an vero de sororis filio Conradi successore intelligenda veniant, qui nimirum etiam Conradus sit dictus. Quod quidem in Wirtembergensi stirpe factum; revera enim apud Cl. Schmidlinum notatur Conradus de Beutelspach Luitgardis ex Bernhardo Scheurenfi comite filius, prioris Conradi successor, qui anno 1138. cum cognomine filio in Bavaricis documentis occurrit. Quum autem ex superius dictis sermo hic sit de Luitgarda, matre Adelberti de Windenberg & Bogen, verba illa anonymi *eiusdem nominis* non

L. cit. p. 108.

D d d 3

ad